



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Septem Illustrium Virorum Poemata**

**Amstelodami, 1672**

Ad Joannem Angelum Altempesium Adolescentem Ornatissimum, Qui de  
Castaneis elegantissimo carmine luserat.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11215**

Et inordinato motu aguntur huc illuc,  
 Ut hora luci debita occupet noctem,  
 Prandendi & horam trudit hora cœnandi;  
 Invertitur mihi forma, & ordo membrorum,  
 Monstrumque fio, mancus, ore distorto,  
 Ut non eant tantùm impari pedes gressu,  
 Verumetiam, ut audis, ipsa claudicet lingua:  
 Nec turpius me quidpiam videt Sixti  
 Pons hospitalis indigentium turbæ.  
 O! qui nitère pulcriùs loci vultum  
 Istius, Urbe vel invidente fecisti,  
 Foro expolito, ædibus, viis, templo,  
 Denique dedisti rebus ordinem cunctis;  
 Fac ipse quoque reducar in bonam formam,  
 Ut nil fit hac in Arce non reformatum,  
 Atque ego libens iterare sæpius possim  
 Jacobe salve, ac Nestoris dies vive.

A D

J O A N N E M A N G E L U M

A L T E M P S I U M

ADOLESCENTEM ORNATISSIMUM,

*Qui de Castaneis elegantissimo carmine luserat.*

**T**E nostri hendecasyllabi salutant,  
 O novem Juvenis decus fororum!  
 Phœbi dignus amore, laureâque,  
 Si non Castaneæ venustiore,

Gr.

Gratæ in Melpomenem tuam, pararent  
 Lauream tibi frondium suarum.  
 Nam quæ montibus aviis latebant  
 Nuper vilia poma; te canente  
 Inter Castaliæ vireta surgunt,  
 Musis cara jocantibus propago.  
 Et quæ pauper erant cibus popelli,  
 Posthac intererunt potentiorum  
 Mensis mûnera, cariùsque ementur.  
 Nam cum illas celebraveris canendo  
 Pulcris versibus, & Marone dignis;  
 Vaser venditor, esse clamitabit  
 Verè Castaneas Maronianas.

A D

LEONEM ALLATIUM V. C.

E X A L B A N O.

**A**lcidæ, Leo, comparande magno,  
 Dum mactas calamo subinde monstra,  
 Quæ fert in Latium Britanna tellus,  
 Aut serpentigenæ palus Genevæ;  
 Graiæ omnis Pater eruditionis,  
 Cui quamquam Patria est, amata Baccho  
 Graiarum Chios Insularum ocellus;  
 Olim cum tamen atra, edax Vetustas  
 Delérit monumenta literarum,  
 (Hæc enim quoque diruet Vetustas)  
 Certatim tibi Patriam fuisse  
 Smyrna, Ios, Colophon, Rhodosque, & Argo,  
 Et

Et